

*Doc. 29 (Scriptum est comiti camerario
etc. Deducto nuper ad maiestatis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 29 (Scriptum est comiti camerario
etc. Deducto nuper ad maiestatis...)*

1293-10-30

Scriptum est comiti camerario etc. Deducto nuper ad maiestatis nostre notitiam obitu quondam Guidonis de Arsi militis, cui custodiam palatii nostri ac forestarum et defensorum Lacuspensilis excellentia nostra commiserat, ne in palatio forestis et defensis eisdem defectu custodie damnum aliquod irrogatur, custodiam eorundem palatii forestarum et defensarum tibi usque ad beneplacitum nostrum fiducialiter duximus committendam, fidelitati tue districte precipiendo mandantes quatenus de cura et custodia ipsorum palatii forestarum ac defensarum actente providens ipsam alicui probo viro, quem ad hoc decreveris ydoneum loco tui committas, statuens apud eum pro dictarum forestarum et defensarum custodia cautiore illum equitum et peditum numerum qui tibi ad id necessarius visus erit, quibus de ipsorum stipendiis mandes et facias prout utile conspexeris de dictarum forestarum et defensarum proventibus provideri. Tu autem nichilominus super hiis frequenter accurate provideas ne dampnum in eis aliquod inferatur, statuens quod animalia massariarum aratiarum et marescellarum nostrarum pascua libere sumere valeant in forestis et defensis predictis. Illud tamen exprimimus quod intentionis nostre non est ut protextu presentium officio Iohannis Scoti militis regni nostri Sicilie senescalli, alias consilarii familiaris et fidelis nostri, ad cuius officium predictarum forestarum et defensarum cura et custodia pertinere dinoscitur, in aliquo derogetur.

Datum ut supra (Aquis anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio die penultimo mensis octobris VII indictionis).